

mus) non ita accepta volumus, quasi temerè in disciplinis ponenda sint negata necessaria, & contingentia per se. Minimè. Hoc volumus. Si possint observari tres leges de gradu triplici necessitatis, utiliter observantur; si non possint, inutiliter adhibentur. Præterea & hoc adjiciendum censemus, nos niti hâc hypothesi, præcepta disciplinarum non debere esse nudas definitiones & distributiones; sed etiam regulas illis addendas, quæ in disciplinis theoreticis vocari possunt theoremata, in practicis canones. In definitionibus & distributionibus ferè semper adhiberi possunt tres illæ decantatæ leges: in regulis non semper. Huic rei vel illud vulgatum fecerit fidem: *Nulla fermè est regula, quæ non patiatur exceptionem.* Dixi, in definitionibus & distributionibus ferè semper posse observari leges illas: quia interdum negativis terminis cogimur uti in definitionibus & distributionibus; qua de re vide *l. 4. cap. 4. can. 8. & lib. 5. cap. 3. can. 8.* Si cui hæc videantur inepta, per me licet suo abundet sensu. Nunc videamus, an etiam tres duntaxat sint leges methodicæ, videlicet homogeniæ, generalitatis seu antecessionis & consecutionis, & denique colligationis, ut vocant. Nobis placet negativa. Quamvis enim tres istæ sint præcipuæ & principales; tamen minùs principales non sunt excludendæ. Quare sic statuimus.

Leges methodi sunt principales, vel minùs principales.

Principales sunt tres, videl. lex homogeniæ, generalitatis & colligationis.

Lex homogeniæ.

Lex homogeniæ exigit, ut singulæ doctrinæ partes, quæ sub methodicâ dispositionem cadunt, sint cognatione aliquâ inter se junctæ, ob subjecti & finis, ad quæ respiciunt, identitatem. *Ideoque prohibet, ne heterogenea eis admisceantur.*

Homogeneitas in Logicis quid sit?

Hic duæ quæstiones sunt decidendæ. 1. Quid sit homogeneitas Logica? 2. An hæc lex duntaxat in methodo disciplinæ alicujus sit observanda? Resp. ad 1. Omnia axiomata ordinata homogenea esse oportet. Sed hæc homogeneitas non est necesse, ut sit præceptorum ejusdè disciplinæ. Confer *Piccol. in Phys.*